

abluere, cum non contingat illum; sed hoc etiam non requiritur, quia etiam cum infundit aquam in infantem, non tangit illum, et tamen abluere dicitur, quia efficit contactum aquæ ad puerum; eodem autem modo est causa illius contactus, sive illum faciat movendo aquam ad infantem, sive e converso. Nihil ergo ibi deesse videtur ad veram rationem baptismi.

Ratio dubitandi in principio posita dissolvitur. — Ad canonem Apostolicum respondetur. — Ad rationem dubitandi in principio positam respondetur: primum, ad Pelagium (cujus integram Epistolam reperire non potui) dicendum est, per se ac directe solum intendere docere ad baptismum conficiendum non satis esse proferre formam in nomine Christi, seu in nomine Domini, sed necessariam esse expressam Trinitatis invocationem, ut patet etiam ex capitul. Si revera, de Consecr., dist. 4. Quia vero eo tempore moris erat, tres personas in tribus mersionibus invocare, ideo Pontifex obiter utrumque conjunxit in priori capite, quamvis non sit æqualis utriusque necessitas. Et ideo in fine absolute concludit, baptismum datum sine expressa invocatione Trinitatis esse invalidum; illum vero, qui datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, esse validum; nullamque adhibet limitationem, neque ibi mentionem facit trinæ mersionis. Atque idem fere respondendum est ad Apostolicum canonem, in quo directe damnatur error eorum, qui baptizabant nomine Christi mortui pro nobis, et ad hunc ritum magis introducendum utebantur una mersione tantum. Contra hos ergo docetur, invocandam esse Trinitatem, et additur, ter esse mergendum, tum propter consuetudinem illius temporis, tum in detestationem illius erroris. Quod vero hæc sit intentio canonis, patet ex ratione, quam subdit, dicens: *Non enim dixit Dominus, in morte mea baptizate, sed in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

9. Ad alios Patres respondetur, solum referre consuetudinem, quæ tunc servabatur propter convenientem significationem, non tamen sentire illam cæremoniam fuisse de necessitate sacramenti, ut ostensum est. Concilium vero Constantinopolitanum damnat Eunomium, quoniam hæretico spiritu, et ad introducendos falsos errores, auferebat illam cæremoniam. Sicut etiam iidem Sancti, Basilii, lib. de Spiritu Sancto; Ambros., 4 de Sacrament., cap. 5; Cyprianus, epist. 70; Ter-

tullianus, lib. de Baptism., cap. 4, referunt alias cæremonias, ut, v. gr., quod baptismus aqua prius benedicta perficiatur, et alias similes, infra suo loco explicandas, quas constat non esse de necessitate sacramenti.

ARTICULUS V.

Utrum hæc sit conveniens forma baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (infra, quæst. 84, art. 3, corp.; et 4, d. 3, art. 6, q. 1; et 1 Cor. 1, lec. 2, col. 3).

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit conveniens forma baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Actus enim magis debet attribui principali agenti, quam ministro; sed in sacramento minister agit, ut instrumentum, ut supra dictum est (quæst. 64, art. 1); principale autem agens in baptismo est Christus, secundum illud Joannis primo: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est, qui baptizat. Inconvenienter ergo minister dicit: Ego baptizo, præsertim, quia in hoc quod dicitur, baptizo, intelligitur ego, et sic videtur superflue apponi.

2. Præterea, non oportet quod ille, qui aliquem actum exercet, de actu exercito faciat mentionem, sicut ille qui docet, non oportet quod dicat: Ego vos doceo. Dominus autem simul tradidit præceptum baptizandi et docendi, dicens, Matth. ultimo: Euntes docete omnes gentes, etc. Ergo non oportet, quod in forma baptismi fiat mentio de actu baptismi.

3. Præterea, ille qui baptizatur, quandoque non intelligit verba, puta si sit surdus aut puer. Frustra autem ad talem sermo dirigitur, secundum illud Ecclesiastici 32: Ubi non est auditus, non effundas sermonem. Ergo inconvenienter dicitur: Ego te baptizo, sermone directo ad eum, qui baptizatur.

4. Præterea, contingit simul plures baptizari, et a pluribus, sicut Apostoli baptizaverunt una die tria millia, et alia die quinque millia, ut dicitur Actorum secundo, et quarto. Non ergo debet forma baptismi determinari in singulari numero, ut dicatur: Ego te baptizo; sed potest dici: Nos vos baptizamus.

5. Præterea, baptismus virtutem habet a passione Christi. Sed per formam baptismus sanctificatur. Ergo videtur, quod in forma baptismi debet fieri mentio de passione Christi.

6. Præterea, nomen designat proprietatem rei. Sed tres sunt proprietates personales divinarum personarum, ut in prima parte dictum

est (quæst. 32, art. 3). Non ergo debet dici, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sed in nominibus.

7. Præterea, persona Patris non solum significatur nomine Patris, sed etiam nomine Innascibilis, et Genitoris; Filius etiam significatur nomine Verbi, et Imaginis, et Geniti; Spiritus etiam Sanctus potest significari nomine Domini, et Amoris procedentis. Ergo videtur, quod etiam his nominibus utendo perficitur baptismus.

Sed contra est, quod Dominus dicit, Matth. ult.: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Respondeo dicendum, quod baptismus per suam formam consecratur, secundum illud, Ephes. 5: Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, et Augustinus dicit in libro de unico baptismo (lib. 6 de Baptis. cont. Donatis., cap. 25, tom. 7, et lib. 4, cap. 15, refertur de Consecr., d. 4, cap. Satis ostendimus), quod baptismus verbis Evangelicis consecratur. Et ideo oportet, quod in forma baptismi exprimat causa baptismi. Est autem ejus duplex causa. Una quidem principalis, a qua virtutem habet, quæ est sancta Trinitas. Alia autem instrumentalis, scilicet minister qui tradit exterius sacramentum. Et ideo oportet in forma baptismi, de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur: Ego te baptizo. Causa autem principalis, cum dicitur: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Unde hæc est conveniens forma baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Ad 4 ergo dicendum, quod actio attribuitur instrumento, sicut immediate agenti; attribuitur autem hujusmodi actio principali agenti, sicut in cujus virtute instrumentum agit. Et ideo in actu baptismi convenienter significatur minister, ut exercens forma baptismi, per hoc quod dicitur: Ego te baptizo; sicut et ipse Dominus baptizandi actum attribuit ministris, dicens: Baptizantes eos, etc. Causa autem principalis significatur, ut in cujus virtute sacramentum agit, per hoc quod dicitur: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; non enim Christus baptizat sine Patre, et Spiritu Sancto. Græci autem non attribuunt actum baptismi ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi baptizantibus attribuebant, dicentes: Ego sum Pauli, et ego Cephæ. Et ideo dicunt: Baptizetur servus Christi talis, in

nomine Patris, etc. Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum. Quod autem additur: Ego, in forma nostra, non est de substantia formæ, sed ponitur ad majorem expressionem intentionis.

Ad 2, dicendum, quod quia ablutio hominis in aqua, propter multa fieri potest, oportet, quod determinetur, in verbis formæ, ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Colos. 3. Et ideo si non exprimat actus baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Græcorum, non perficitur sacramentum, secundum illam Decret. Alexand. III (in lib. 3, tit. 42 de Baptismo et ejus effect., cap. 2): Si quis puerum ter in aqua immersit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen, et non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen, non est puer baptizatus.

Ad 3, dicendum, quod verba, quæ proferuntur in formis sacramentorum, non pronunciantur solum causa significandi, sed etiam causa efficiendi, in quantum habent efficaciam ab illo Verbo, per quod facta sunt omnia. Et ideo convenienter diriguntur non solum ad homines non intelligentes, sed etiam ad creaturas insensibiles, ut cum dicitur: Exorcizo te, creatura salis.

Ad 4, dicendum, quod plures simul non possunt unum baptizare, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Et sic si convenirent duo, quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, et alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, et alio exercente actum. Possunt autem (si necessitas exigit) plures simul baptizari, quia nullus eorum reciperet, nisi unum baptismum. Sed tunc oportebit dicere: Ego baptizo vos. Nec erit mutatio formæ, quia, Vos, nihil aliud est quam, te et te. Quod autem dicitur, Nos, non est idem dicere quod ego et ego, sed ego et tu, et sic jam mutaretur forma; similiter autem mutaretur, si diceretur: Ego baptizo me. Et ideo nullus potest baptizare se ipsum; propter quod et Christus a Joanne voluit baptizari, ut dicitur extra. de Baptismo et ejus effectu, cap. Debitum (in Decr. lib. 3, tit. 42, c. 4).

Ad 5, dicendum, quod passio Christi, etsi sit principalis causa respectu ministri, est ta-

men causa instrumentalis respectu sanctæ Trinitatis. Et ideo potius commemoratur Trinitas, quam passio Christi.

Ad 6, dicendum, quod etsi sint tria nomina personalia trium personarum, est tamen nomen unum essenziale. Virtus autem divina, quæ operatur in baptismo, ad essentialiam pertinet, et ideo dicitur, in nomine, non in nominibus.

Ad 7, dicendum, quod sicut aqua sumitur ad baptismum, quia ejus usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas, in forma baptismi assumuntur illa nomina, quibus communius consueverunt nominari personæ in illa lingua. Nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.

COMMENTARIUS.

1. *Dubitatio.* — Respondet D. Thomas hanc esse convenientem formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et rationem reddit, quia in hac forma exprimitur duplex causa baptismi, scilicet principalis et instrumentalis; ergo est conveniens. Consequentiam probat, quia cum baptismus verbis formæ consecratur, oportet causas baptismi in ea exprimi.

2. *Solutio.* — Circa quem discursus dubitare potest aliquis; nam ex eo sequitur, in omnibus formis sacramentorum exprimendas esse illas duas causas, quia omnia per verba formæ consecrantur, et in omnibus reperitur illa duplex causa principalis et instrumentalis; consequens est falsum; nam in forma penitentiae non exprimitur Trinitas, quæ est causa principalis, et in forma extremæ unctionis non exprimitur persona ministri; et idem videre licet in aliis sacramentis. Quin potius, neque in ipso baptismo exprimere personam ministri, est de essentia formæ, ut D. Thomas hic, ad 4, fatetur, et infra latius dicitur. Et augetur difficultas, nam sacramentum potius est signum sui effectus, quam causæ, a qua manat talis effectus; ergo convenientia formæ potius ex hac significatione, quam ex causarum expressione sumenda est. Respondetur D. Thomam supponere, Christi Domini institutionem, quæ est prima radix et unica causa assertionis ejus, quam in argumento Sed contra, sufficienter probat ex verbis Christi, Matth. ult., de quibus postea dicturi sumus. Supposita autem institutione, in prædicto discursu solum reddit congruentiam ejus, quæ non est in eo sensu intelli-

genda, qui in objectione facta insinuatur, videlicet, ut forma sacramenti sit conveniens, necessarium esse, quod in ea sacramenti causæ exprimantur; sed e contrario, quod ea forma, in qua hujusmodi causæ exprimuntur, hoc ipso judicanda est conveniens, quia exprimendo causam principalem sacramenti indicatur origo totius sanctificationis et consecrationis sacramenti, et fit principalis quædam Christianæ fidei professio; explicando autem ministrum, declaratur etiam actus ejus, qui est materia sacramenti, scilicet ablutio; et significando hunc actum, consequenter significatur effectus, scilicet, spiritalis et interior ablutio, quæ per exteriorem significatur, atque ita recte explicatur, nihil deesse tali formæ, ut sit conveniens et aptissima; quamvis non omnia ista necessaria sint in omni forma cujusvis sacramenti; pauciora enim sufficere possunt, quia non in omnibus est eadem ratio institutionis, ut suis locis dicitur. Et per hæc patet responsio ad dubitationes prædictas.

3. In solutionibus argument. tangit D. Thomas difficultates aliquas, quæ in sequenti disput. commodius tractabuntur.

ARTICULUS VI.

Utrum in nomine Christi possit dari baptismus (4, dist. 3, art. 1, quæst. 2, ad 3. Et 1 Cor. 1, lect. 2, c. 4).

1. *Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod in nomine Christi possit dari baptismus. Sicut enim una est fides, ita est unum baptisma, ut dicitur Ephes., cap. 4. Sed Actor. 8, dicitur, quod in nomine Christi baptizabantur viri et mulieres. Ergo nunc etiam potest dari baptismus in nomine Christi.*

2. *Præterea, Ambrosius dicit (lib. 1 de Spir., c. 3, ante med.): Si Christum dicas, et Patrem, a quo unctus est, et ipsum, qui unctus est, Filium, et Spiritum Sanctum, quo unctus est, designasti. Sed in nomine Trinitatis potest fieri baptismus. Ergo et in nomine Christi.*

3. *Præterea, Nicolaus Papa (de Consecr., d. 4, c. A quodam Judæo) ad consulta Bulgægarorum respondens, dicit: Qui in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Act. Apostolor. legitur) baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus ait Ambrosius), rebaptizari non debent. Rebaptizarentur autem, si in hac forma baptizati, sacramentum baptismi non reciperent.*

Ergo potest conferri baptismus in nomine Christi, sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi.*

Sed contra est, quod Pelagius P. (de Consecr., d. 4, c. 30, Si revera) scribit Gaudentio Episc.: *Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujuscumque dubitationis ambiguo, eos ad fidem catholicam venientes in S. Trinitatis nomine baptizabis. Dydimus etiam dicit in l. de Spiritu Sancto (in l. 2, paulo a princ., habetur hic liber in fin. operum Hieron.): Licet quis possit existere sæxi (ut ita dicam) cordis, et penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus (scilicet trium personarum) prætermittat, tamen sine perfectione baptizabit.*

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est (art. 2 hujus quæst.) sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi. Et ideo si prætermittatur aliquod eorum, quæ Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam sacramentis non alligavit. Christus autem instituit sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quicquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec obstat, quod in nomine unius personæ intelligitur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius), aut quod ille, qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus, quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita et forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimat. Unde et in baptismo Christi (ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi) adsuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba.

Ad 1 ergo dicendum, quod ex speciali Christi revelatione, Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi (quod erat odiosum Judæis et Gentilibus) honorabile redderetur, per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo.

Ad 2, dicendum, quod Ambrosius (loco citato in arg. 2) assignat rationem, quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in primitiva Ecclesia, quia scilicet in nomine Christi sola Trinitas intelligitur. Et ideo servabatur,

ad minus integritate intelligibili, forma, quam Christus tradidit in Evangelio.

Ad 3, dicendum, quod Nicolaus Papa (loco citato in arg. 3) dictum suum confirmat ex duobus præmissis. Et ideo ejus responsio patet ex primis duabus solutionibus.

COMMENTARIUS.

Respondet D. Thomas, hanc formam: *Ego te baptizo in nomine Christi*, non esse sufficientem formam, seclusa dispensatione, quia non est juxta Christi Domini institutionem. Addit vero in solutionibus argumentorum, Apostolos speciali dispensatione interdum baptizasse sub illa forma, atque ita exponit Nicolaum Papam et Ambrosium. Quæ doctrina quoad hanc posteriorem partem difficilis valde est, et ideo specialem de illa quæestionem sequenti disputatione instituemus.

DISPUTATIO XXI.

DE FORMA BAPTISMI.

Supponendum est contra hæreticos hujus temporis, de necessitate baptismi esse determinatam formam verborum, ut supra in genere ostensum est, disp. 2, sect. 1 et 3. Quo supposito, explicandum a nobis est, quæ sint ista verba, ubi duo declaranda sunt, scilicet, quæ sufficiant, et quæ necessaria sint.

SECTIO I.

Utrum hæc sit sufficiens et necessaria forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

1. *Primus Brentii et aliorum hujus temporis hæreticorum error.* — *Secundus Græcorum error, alteri e diametro oppositus.* — Duo possunt excogitari circa hanc formam extremi errores. Primus est hæreticorum hujus temporis (ut quidam referunt ex Brentio et aliis), qui negant, illam formam esse sufficientem, nisi catechismus præcedat, seu doctrina, qua baptizandus instruatur de fidei mysteriis, quia Christus Dominus, Matth. ult., antequam diceret: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, præmisit, *docete omnes gentes.* Unde colligunt illam doctrinam esse de essentia baptismi, non minus, quam cætera verba. Sed hic error sufficienter refu-